

1480 qui, & Volsci fuerunt, hoc Venetis Dalmatæ, Liburni & Histri. Gravissimus illis Gallicus hostis, quibus omnia præter Capitolium ademit: nec his quidem omnino levis, quibus præter Rivumaltum nihil reliquum fecit. Formidabiles Latio Cimbri, Theutones, & Ambrones: Gothi, Longobardi, & Hunni Hadriæ non contemptibiles. Infesta Latino nomini Carthago: infesta & Veneto Genua. Verum tum valde ferox illa, quum Philippum Regem socium & Syracusanos nacta est: hæc quoque nunquam ferocior, quam cum Lodovico Rege & Patavinis Clodiaco bello est usæ. Hostis Pyrrhus Romano, at Pœno mitior: nec Pipus Veneto amicus, sed Ligure longe placabilior. Diutissime ab illis cum Mitridate bellatum: nec ab his cum Philippo Vicecomite brevi tempore. Magnus Antiochus: Othomanus vero major. Verum sociale bellum illi ac longe gravissimum in Italia gessere: at Veneti, ne non per omnia eorum æmuli crederentur, ecce novissime & ipsi in Cisalpina Gallia omnes Italæ opes non solum sustinuere, sed (ut rerum eventus facile declaravit) fregerunt etiam. De causis autem & processu Ferrariensis belli, unde postea sociale est ortum, prius dicemus, ut quæcumque inde secuta sunt, magis sint perspicua. Sed priusquam de eo dicere incipiam, pauca, quæ belli ipsius initium præcessere, nobis referenda sunt, & in his duæ Othomani in Christianos expeditiones, quæ et si ad nostram historiam parum omnino attinere videbuntur, operæ premium tamen duxi, quando unum corpus Christianos omnes religionis causa arbitramur, eas quoque rebus Venetis inferere.

Anno itaque & amplius post pacem circumacto, Othomanus ipse nihilo minore apparatu quam paucis ante annis Chalcidem fuerat adortus, Rhodum invasit. Est Rhodos omnium insularum quæ in Ionio & Ægeo sunt, pulcherrima, ac liberi juris; ut olim tribus quondam urbis habitata, Camyro, Lyndo, & Ialiso, nunc vero Rhodo. Centum viginti quinque millibus passuum circuitu patet: quanquam Isidorus aliquanto breviores fecit. Multi

Rhodus in-  
sula a Tur-  
cis frustra  
oppugna-  
tur.